



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficult. 3. Argumenta pro obligatione dominii etiam absoluti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

multum; probat enim quod cum amet Deus honestatem obedientiae, possit habere virtutem obedientiae. Directè autem dici potest, ex eo præcisè, quod detur aliquis actus hujus virtutis, non sequitur jam debere dari & alium actum ejusdem, ob cujus tamen actus, tanquam principalis, defectum, nec ipsa virtus dabitur. Sed de hoc aliàs etiam actum, ubi an Christus fuerit Subjectum poenitentiae.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta pro obligabilitate dominii etiam absoluti.

OBJICITUR 1. Quia Deus est fidelis, credimus esse impossibile, ut etiam de potentia absoluta, desit præmium promissum. Ergo etiam, quia justus est, justitia Dei obligabit etiam absolutam potentiam.

RESPONDETUR imprimis; negando subiectum consequentis, esse scilicet Deum justum rigorosè. Attendendo autem ad vim medii termini, Disparitas est: quia si Deus posset non stare promissis, derogaretur perfectioni divinae, nempe fidelitati; quæ est bonum naturæ intellectualis; satisfaciendoque Deus suæ fidelitati, semper exercet suam perfectionem, eaque fruitur, quia bonum fidelitatis, est bonum naturæ intellectualis. Jam autem si obligaretur ex justitia, derogaretur perfectioni divinae, nempe dominio; cum Deus per essentiam sit Dominus, sicut per essentiam est fidelis, præsertim cum sit bonum naturæ intellectualis dominium, malum autem carere illo, ut careret illo, si illud obligaret.

INSTARI potest 1. Ergo saltem pro uno eodemque instanti poterit Deus esse obligatus ex justitia, cum ex illa dat, cum per nos in instanti donationis, sit dominium penes utrumque.

RESPOND. Est quidem etiam in donante dominium, sed tale, ut sit de essentia illius, habere vim, extinguendi dominium in donante pro sequenti tempore; nihil autem Deus potest in se tale habere, quod sit extinctivum perfectionum illius.

INSTARI potest 2. Supponamus censerì ab Angelis veram esse hanc sententiam, quod in instanti donationis uterque sit dominus in solidum; convenient inter se ex pacto justitiam, ut semper donent & redonent, eo casu nullus se spoliabit dominio, & tamen uterque erit justus, investieturque alium dominio. Ergo idem poterit facere & Deus.

RESPONDETUR. Etiam tunc in actu primo intercedet spoliatio dominii in Angelo, in quantum donat; spoliatio autem perfectionis, etiam in actu primo in Deo, repugnat Deo.

OBJICITUR 2. Hæc obligatio non repugnat: quia dominium perfectissimum Dei, est integrum cum potentia antecedenti dispen-

di pro libitu; at Deum esse obligatum sua promissione, etiam quoad potestatem absolutam, non tollit potestatem antecedentem, sed solum consequentem. Ergo, obligatio illius potestatis, non repugnabit.

RESPONDETUR. Quod obligatio per promissionem, de qua Minor procedit, non repugnet Deo, secus obligatio justitialis, quia illa relinquit quidem potestatem antecedentem pro ipsamet obligatione, sed non relinquit post obligationem, adeoque nec relinqueret jus in Deo.

OBJICITUR 3. Jus acquisitum creaturæ promissione Dei, obligat ex justitia potestatem, etiam absolutam: quia post factam promissionem, nulla potestate est possibile libitum Dei, oppositum libito creaturæ. Ergo, etiam obligat potestatem absolutam Dei.

RESPONDETUR. Posita illa obligatione per promissionem, salvabitur, adhuc dominium Dei absolutum, duplici titulo. Imprimis conditionatè: quia, si per impossibile, fieret oppositum promissis, ponereturque negatio futuri-
tionis rei promissæ, nulla per hoc irrogaretur injuria creaturæ, quod ostendit manere adhuc in Deo potestatem & dominium non ligatum. Deinde, salvari potest ratione diversarum formalitatum: nempe dominii & fidelitatis. Quod scilicet impossibile sit negatio rei promissæ, quantum ex vi fidelitatis, licet sit possibilis, quantum ex vi dominii. Sicut v.g. non est possibile, ut Deus naturali concursu exhibito per omnipotentiam, producat gratiam supernaturalem, licet hoc illi sit possibile in quantum est Auctor excedentium; & si possibilitas vel impossibilitas alicujus, potest attendi penes omnipotentiam, sic vel sic sumptam, cur non poterit attendi impossibilitas penes fidelitatem, possibilitas penes dominium? ad eum modum, quo aliquis in pluribus dignitatibus constitutus, secundum unum titulum non potest facere, potest secundum alium.

INSTABIS. Caret Deus jure ad negandam gloriam promissam, etiam per potestatem absolutam: quia repugnat jus ad usum impossibilem pugnantem cum esse Dei: neque enim potest esse jus in Deo, ut ipse non sit Deus, jam autem negare rem promissam, est usus impossibilis, pugnantem cum esse Dei.

RESPONDETUR ex dictis; repugnare jus ad usum impossibilem, respectu cujus, est usus impossibilis, non autem respectu cujus, usus non est impossibilis. Jam autem respectu fidelitatis est impossibilis usus de quo quæritur, non respectu dominii: præcipue autem cum obliget se Deus, quod hoc non sit futurum, non autem quod absolute non possit etiam hoc, si ex quacunque potentia vellet facere, illudque prius sufficit ad formalisandam fidelitatem.

OBJICITUR 4. Etiam potestas divina absoluta est subiecta voluntati divinae. E. obligari potest.

RESPON-

RESPONDETUR. Esse illam subjectam, non quoad suam in Deo reperibilitatem: neq; enim abrogari potest à Deo; licet sit subjecta, quoad suum exerceri.

INSTABIS. Jus creaturæ in Deum, non debet esse obligatio instituta à Deo ad aliud, quàm ut sit in utilitatem creaturæ, quæ obligatio potest esse, etiam circa potestatem absolutam.

RESPONDETUR. Si illud jus sit ex titulo fidelitatis divinæ, haberi posset à creatura, sed non sub onere injuriæ, obligationisque rigoroſa.

OBJICITUR 5. Etiam supposita obligatione domini, potest adhuc salvari dominium in Deo idq; duplici titulo. Imprimis, quia dominium debet esse respectu possibilem; hinc licet chymæram non possit Deus annihilare, est adhuc perfectus Dominus. Jam autem supposita promissione, non est possibile in Deo actus utendi re illa, prout voluerit. Deinde quia habet in potestate voluntates hominum, quibus aliquid promitteret, adeoque illas inclinaret, ad id non præstandum, quod eis promisit, si vellent non præstare.

RESPONDETUR. Quod ad primum attinet. Cum negemus obligari dominium Dei, negamus consequenter non esse possibilem actum utendi re illa, siquidem datur potentia illius actus inobligata. De chymæra disparitas est, quia non utendo illa, prout libuerit, nulla sequitur in dominio Dei: nunquam enim poterat illa uti, prout liberet. Si autem cum possit inante, uti re Deus ad libitum, nunc autem non posset, fieret mutatio in dominio, impossibileq; est dominium in chymæras, possibile in obligabilitas potestatis.

Quod attinet ad secundum. Necdum salvabitur dominium Dei: quia ponetur dependens à consensu humano. Rursus per ordinem saltem ad gratias inefficaces, adeoque non impetrantes consensum, non posset sine injuria operari. Denique antecedenter ad impetratum consensum creaturæ, careret illa potestate. Illustrari solet instantia, si esset Petrus tam efficax in dicendo, ut posset persuadere creditori remissionem debiti, non ideo tamen esset Dominus stante debito, ita & in præſenti.

INSTABIS. Deus habet perfectissimum dominium noſtrarum voluntatum, quamvis de illis non possit disponere independenter ab illis consentientibus. Ergo, & rerum obligatarum adhuc posset Deus habere perfectissimum dominium, quamvis de illis non posset disponere, nisi illis consentientibus, quibus obligavit dominium. Imò videtur de facto Deus obligasse suum dominium in voluntates creatas, in principis non prædeterminantium; siquidem uti illis non potest, independenter à consensu creaturæ.

RESPONDETUR. Cum nusquam habuerit

Deus potestatem, salvâ libertate necessitandarum voluntatum, quamvis eas non necessitet, verè adhuc manet non diminutum dominium, diminutum autem esset, si obligaretur, cum esset inobligatum. Adde quantumvis illas necessitaret adhuc injuriam non inferret, inferret autem, si procederet ut liberet, habendo obligatum dominium.

QUÆSTIO II.

An Creaturæ ad Deum, possit dari perfecta Justitia?

NEGAT VASQ. HURT. de Incarn. Becan. Merac. Ponunt illam alii cum Suar. in quantum illam ponunt in Deo. Aliqui illam negant in Deo, ponunt in creatura qualis Lugo. d. 3. n. 55. Falsolus autem 1. p. q. 21. a. 1. dub. 5. non ponit creaturam posse esse Deo justam, sed ponit posse esse injuriam.

DICENDUM est. Non posse dari strictam justitiam creaturæ erga Deum.

Probatio Conclusionis, quæ sit adferenda, ut videatur. Sit

DIFFICULTAS I.

Examinantur Argumenta Negantium.

CUM in 1. P. docuisset Vasq. non reperiri justitiam rigorosam, inter Deum, & homines, ut videre est disp. 84. Respondit illi Suar. præcipuè opusculo de justitia Dei. Iterato refutavit illum Vasq. 1. 2. d. 223. Aliqua ex illis adferenda sunt.

Punctum Difficultatis 1.

Proponitur Primum Argumentum.

PRIMA RATIO est ex Vasq. 1. P. d. 85. n. 18. petita ex natura objecti justitiæ commutativæ, cujus formalis ratio in æqualitate dati & accepti consistit. Objectum formale justitiæ commutativæ, ejus distinctivum, est æqualitas dati & accepti. Sed inter creaturam & Deum non potest esse dicta æqualitas. Ergo. Major probatur Auctoritate S. Thom. id docentis 1. p. q. 21. a. 1. & 2. 2. q. 61. a. 3. & Auctoritate Arist. 5. Eth. c. 2. ubi dicit, specialem justitiam versari circa tria tantum bona, pecuniam, honorem, & salutem, & nisi statuatur in his æqualitas justitialis, sequitur in omni virtute esse justitiam propriè & speciali modo: quia omnis virtus observat in sua operatione æqualitatem cum sua regula. Et, si facere aliquid secundum voluntatem superioris, quod illi placet, est opus justitiæ specialis, & ex tali opere constituitur æqualitas justitiæ in retribuendo mercedem, tunc sequitur, in omni opere bono esse datum, & con-